



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

4. Solutiones adversariorum refutatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

82 Minor probatur primo, quia hæc est vera causalis, quia Deus est trinus, & vnus, in qua Trinitate datur Pater æternus, hæc propositio affirmans tale mysterium est vera; quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, id est quia obiectum in se est tale, quale enunciat, ideo enunciatio est vera; & ratio euidens à priori est, quia obiectum est causa finalis, vel formalis extrinseca propositionis; cum propositio specificetur, & dicat ordinem essentialem ad obiectum, tanquam ad id, à quo sumit suam essentiam; quare sine vlla dubitatione optima est illa causalis, quia obiectum est tale, reuelatio, seu propositio est vera; quapropter cognitio obiecti deducta ex cognitione euidens propositionis veræ est cognitio causæ ex effectu, & sic erit demonstratio, quia.

83 Confirmatur, existentia obiecti, & veritas actus affirmantis illud, non sunt disparata, sed vnum dependet ab alio: atqui obiectum non dependet à veritate actus: ergo veritas actus pendet ab obiecto: ergo cognitio obiecti ex veritate actus, seu propositionis est cognitio causæ per effectum; vnde si is qui affirmavit, Petrum esse album, rogetur utrum verum dixerit: respondebit affirmatiue; rogatus autem vnde sciat se dixisse verum: respondebit, quia scit Petrum esse album; igitur obiectum regula veritatis propositionis, quod si ipsum obiectum includatur in veritate actus, efficacius est hoc argumentum; quia non poterit euidenter cognosci veritas actus, quin & ipsum obiectum; si autem veritas se teneat adæquate ex parte actus, manet argumentum cum suo robore.

84 Secundo probatur eadem minor, quia propositio de mysterio Trinitatis est quasi causa vt ita loquar, & ratio obiectiua scientiæ visionis de illa: ergo etiam est ratio obiectiua, seu causa remota omnium effectuum scientiæ visionis; quia quod est causa, vel quasi causa causæ est causa causati, & constituitur in serie causarum talis effectus. Antecedens autem est manifestum, quia ideo Deus videt existentiam Trinitatis, quia est talis existentia, & non è contra; tunc sic, sed reuelatio, seu propositio de Trinitate est effectus scientiæ visionis de ipsa Trinitate: ergo reuelatio, seu propositio est effectus ipsius Trinitatis. Probo minorem, quia loquutio est effectus scientiæ de obiecto, quod loquimur, vt dixit Christus, quod vidimus testatur, & quod scimus loquimur; nam verba sunt signum naturale iudicii de re dicta in eo, qui loquitur infallibiliter verum; si autem mentitur, verbum est signum naturale apprehensionis internæ, & secundum leges morales; non debet oriri nisi à iudicio conformi verbis, ex quibus concludo, cognitionem de Trinitate deductam ex euidenti cognitione reuelationis, aut propositionis veræ, esse cognitionem causæ per effectum.

SVBSECTIO V.

Solutiones Adversariorum refutantur.

85 Dices primo obiectum esse causam remotam reuelationis, & non proximam.

Sed contra: causa remota necessaria vnica demonstratur euidenter per effectum remotum necessario fluentem mediate à tali causa; quia ab effectu remoto ad proximum, à quo pendet remotum valet consequentia; à proximo autem valet ad causam remotam, ea ratione inter demonstrationes, quia primo loco ponitur demonstratio perfe-

ctissima primæ proprietatis per essentiam; deinceps ponuntur ceteræ demonstrationes quæ sunt remotæ respectu essentiae; vnde ex euidenti cognitione reuelationis Dei, aut loquutionis Christi infertur immediate, & euidenter scientia Dei de obiecto reuelato. Ex hac autem scientia Dei infertur euidenter mysterium reuelatum: ergo semper ex effectibus ad causam infertur euidenter mysterium ex reuelatione.

Dices eam reuelationem, seu propositionem Christi non existere, quia est Trinitas, & persona prima Patris, sed quia Deus vult.

Sed contra primo, quia licet existentia Trinitatis &c. non sit tota ratio ob quam loquutio vera Christi existit, tamen est causa partialis vt existat; cognitio autem euidens causæ partialis ex effectu spectat ad demonstrationem, quia: ergo & hæc maior patet, quia voluntas reuelandi quasi pendet à scientia obiecti; est enim hæc euidens consequentia; Deus vult reuelare mysterium Trinitatis, & existentiam Patris æterni: ergo Deus scit tale mysterium; hæc autem voluntas non potuit esse sine scientia; scientia autem potuit sine voluntate: ergo voluntas quasi pendet à scientia, & non è contra scientia à voluntate.

Vrgetur efficacius, quia licet voluntas diuina sit causa efficiens propositionis veræ de Trinitate, nihilominus non est causa finalis, aut formalis extrinseca specificatiua, seu obiectum quod specificat talem reuelationem, aut propositionem; vnde licet tanquam à causa efficiente dependeat à voluntate diuina, nihilominus tamen tanquam ab obiecto specificante dependet etiam ab existentia ipsius mysterii reuelati; vnde falsum est dicere in hoc genere causæ non esse veram hanc causalem, ideo vera est propositio dicens dari mysterium Trinitatis; quia tale mysterium datur, imò in toto rigore loquendo de veritate propositionis, vt veritas est formaliter sumpta est vera sola hæc causalis, vt patet ex terminis, & ex illo principio, ex eo quod res est, &c.

Præterea voluntas Dei non est alio modo causa reuelationis, quam aliarum rerum, nempe applicando omnipotentiam ad effectum, vnde hæc propositio causalis, homo est quia Deus vult, non excludit causas necessario existentes in Deo, sed includit redditque hunc sensum, homo existit, quia Deus habet scientiam, & omnipotentiam applicatas per voluntatem ad faciendum hominem, ita reuelatio est, quia Deus vult applicare omnipotentiam præsupposita cognitione, & existentia obiecti reuelati: ergo sicut ex hac propositione, homo est, infertur euidenter scientia, & omnipotentia Dei, vt causa existentie hominis, ita infertur scientia, & existentia obiecti reuelati, vt causa reuelationis.

Secundo contra; quamvis obiectum non sit causa immediata, vt reuelatio existat, tamen est causa immediata vt sit vera: ergo ex euidenti cognitione veritatis reuelationis, aut propositionis infertur obiectum ipsum, vt causa immediata: probo antecedens, quia non est alia ratio, ob quam propositio sit vera in ratione veritatis formalis, nisi quia obiectum ita est, certitudo enim aliunde oritur, quam ab obiecto; est enim determinatio iam oritur ab actus veritatem, quæ determinatio iam oritur ab actus euidencia, iam à supernaturalitate; at veritas formaliter quia consistit in adæquatione actus cum obiecto, pendet absolute, ac simpliciter ab ipso obiecto, non in existentia efficienti: sed in regulatione sui conceptus; vnde veritas existens ducit immediate in principia actiua ipsius veritatis, & in existentiam obiecti.

Dices

Quaest. I. Vtrum Deus demonstrari possit. 155

91 Dices tertio, hos syllogismos non esse absolute demonstrationes, sed reductiue, quia non sunt per causam physicam.

92 Sed contra, quia illi sunt absolute syllogismi euidentis & demonstratio, quia; nam demonstratio, quia absolute, est quando potest explicari per propositionem necessariam causalem includentem hanc particulam, quia, verbi gratia, ideo est reuelatio vera, quia obiectum ita est, vel quia Deus scit obiectum reuelatum ita esse; item ideo Deus vult reuelare, quia scit obiectum reuelatum, quod clare patet in moralibus; ideo Deus vult donare premium, quia donare est bonum opus, haec enim sunt demonstrationes, quia, absolute, licet sint demonstrationes reductiue ad alias primario demonstrationes, quia; Nam illa causalis non est inter causam & effectum absolute, hoc tamen non tollit euidenciam simpliciter; nam in Deo sunt demonstrationes simpliciter vnius perfectionis per aliam; nam simpliciter demonstratur voluntas diuina per intellectum, quasi à priori, & propter quid, & nihilominus intellectus non est vera & propria causa voluntatis, sicut est contra intellectus demonstratur per voluntatem vera demonstratione, quia, nihilominus tamen non est per proprium effectum; Itaque euidencia est absoluta, causalitas vero deductiua; ergo euidencia demonstrationis non tollitur ex eo quod non sit per causam physicam, aut effectum physicum, dum tamen conclusio colligatur clare per necessariam, & manifestam illationem, cui non possit subesse falsum, vt videre est in demonstrationibus circa attributa diuina: vnde satis nobis erit habere tantam euidenciam obiecti ex euidente cognitione attestantis, quantum habemus intellectus diuini per voluntatem.

93 Secundo probatur principaliter à priori, euidencia absoluta est necessitas absolute cognoscendi clare aliquid, nempe quando ita manifeste cognoscitur, vt nullo modo possit negari; sed ex euidenti cognitione propositionis verae ita cognoscitur attestatum obiectum, vt non possit villo modo negari illud; ergo est euidencia absolute; Minor non eget probatione. Nam dispositio legitime syllogismo non potest negari conclusio vt in libro *Periberm*, probauit, hic autem disponitur legitime syllogismus; nam ex veritate propositionis non potest negari obiectum affirmatum, alioquin cogerebatur admittere duo contradictoria; quia non potest negari veritas reuelationis, quam clare cognoscimus: ergo ex his duobus principiis cognitis vno aut pluribus actibus non potest negari conclusio mysterij reuelati.

94 Aduerte hanc necessitatem assentiendi conclusioni in nostro casu non esse secundum quid ex sola suppositione libera praemissarum, vt contingit in omni fide, & opinione, in quibus conclusio solum habeat necessitatem consequentiae, quae negari non potest praecise, quia sunt admissae praemissae; At non habet necessitatem consequentis conclusio opinatiua; nam obiectum non necessitat absolute ad assensum sui; quia cum potuerint negari praemissae, potuit negari consequens, quod in assensu sui pendet ab antecedentibus. In nostro vero casu est non solum necessitas consequentiae, sed consequentis; consequentiae quidem quia euidenter deducitur conclusio ex suppositione praemissarum, vel quia medium bene disponitur (si syllogismus est formalis) vel quia bene videtur necessaria connexio antecedentis, & consequentis; Item datur necessitas consequentis; quia praemissae negari non possunt; in quo conuenit noster

I. P. Tom. II.

syllogismus cum omni demonstratione à priori & à posteriori.

Probatum maior primo, Quia consequentia euidentis dicitur, quae negari non potest, quae autem negari potest dicitur ineuidens: quando autem est dubium, vtrum possit negari, necne, dicitur consequentia probabilis: ergo iam hoc genus euidenciae consequentiarum est necessitas non negandi illas. Secundo probatur; quia in actu perfecto reperiuntur tria, veritas, certitudo, & euidencia; in imperfecto autem reperiuntur duo vel probabilitas, vel falsitas; veritas est representatio obiecti vt est, falsitas aliter ac est certitudo firma adhaesio, probabilitas adhaesio mutabilis; vnde nec certitudo, nec probabilitas vt sic cogunt intellectum, cogit autem euidencia: ergo determinatio intellectus ad assensum est effectus proprius euidenciae, sin assignent mihi rationem aliquam, vnde oriatur illa necessitas; nam ab euidencia secundum quid non potest oriri determinatio absoluta; nam quae secundum quid videntur, habent carentiam euidenciae simpliciter, & propterea negari poterunt absolute, arbitror hic multum contendere de nomine.

96 Dices primo, ad euidenciam simpliciter requiri duo, alterum vt negari non possit obiectum, alterum vt cognoscatur eius extremorum connexio.

97 Contra primo, visio externa, & apprehensio intellectus illi respondens sunt euidentes praecise, quia determinant hominem, ne dissentiat, neque vero repraesentant connexionem aliquam albedinis.

98 Contra secundo, quia etiam ex euidencia in attestante cognoscitur connexio extremo rerum obiecti attestati, nam ex cognitione euidenti reuelationis aut propositionis verae de Trinitate, cognoscitur identitatis connexio Trinitatis cum Deo. Item cognoscuntur ipsa praedicata Trinitatis & Dei, ita vt cognitio non sistat in sola reuelatione, sed progrediatur ad obiectum ipsum cognoscendum secundum omnia quae repraesentantur in reuelatione seu propositione vera, sicut cognitio effectus progreditur cognitio ad praedicata omnipotentiae Dei, ac proinde non solum cognoscitur ipsa veritas reuelationis, sed etiam connexio obiecti repraesentata per illam.

99 Dicunt secundo, cognosci quidem praedicata; & connexionem obiecti, non tamen in se sed in testimonio.

Egregia hic committitur aequiuocatio verbo in 100 se, aliquid enim dicitur cognosci in se proprie quando cognoscitur vt obiectum formale, & immediatum, ita dicuntur creaturae videri non in se sed in Deo, quia visio habet pro obiecto formali & immediate Deum, creaturas vero pro secundario, quo genere cognitionis, neque causa cognoscitur in se per effectum, neque effectus per causam in demonstratione à priori aut à posteriori, non tamen propterea haec demonstrationes sunt tantum euidentes secundum quid, sed potius simpliciter. Deinde minus proprie dicitur aliquid cognosci in se, quando ex alio obiecto prius cognito derivatur in illud cognitio repraesentans illud secundum se, non vero remote & denominatione tantum, vt obiectum materiale proximum dicitur secundum se cognosci, & medium amari, sic autem omnipotentia Dei tam in se cognoscitur per reuelationem euidenter cognitam quam per effectum: determinatur enim intellectus ad assentiendum Deum esse omnipotentem

per illam non minus quam per effectum; unde arguo, cognitio reuelationis tam clara & immediata est, quam cognitio effectus; ex reuelatione autem tam necessario determinauit intellectus ad cognoscendum Deum esse omnipotentem, quam ex effectu: ergo nullum est discrimen in euidencia & cognitione omnipotentia in se.

101 Dicunt tertio euidenciam obiecti attestati esse per principium extrinsecum, & euidenciam causae esse per principium intrinsecum.

102 Sed contra primo, quia hoc non tollit euidenciam simpliciter cum non tollat necessitatem simpliciter assentiendi, quia sicut datur necessitas absoluta duplex cognoscendi omnipotentiam, & duplex certitudo absoluta, altera per principium intrinsecum, cur non dabitur duplex euidencia absoluta, & simpliciter? & sicut principium extrinsecum est absolute obiectum formale cognitum euidenter, necessario ducens in aliud extrinsecum, in quo conuenit cum effectum, & causa in ratione formali de qua loquimur, cur etiam non conuenit in ratione simili euidens simpliciter?

103 Contra secundo, demonstratio omnipotentis per effectus est per principium extrinsecum, sicut demonstratio obiecti per reuelationem; ergo non tollitur euidencia simpliciter ex hoc capite. Probo antecedens, quia canis, aut homo tam extrinsecus effectus omnipotentiae Dei est, quam veritas reuelationis comparata cum obiecto; si enim consideremus transcendentalem ordinem reuelationis, & caloris ad Deum, utique est intrinsecus ipsis, & extrinsecus Deo; si autem consideretur terminus illius ordinis est extrinsecus utrique eodem modo, connexio autem huius ordinis cum termino est aequae necessaria in utroque; cur igitur necessaria connexio effectus cum omnipotentia fundat euidenciam simpliciter magis quam necessaria connexio reuelationis, quod enim omnipotentia etiam referatur ad calorem, non vero ad reuelationem in ratione obiecti nihil obest, tum quia aduersarij non admittunt hanc relationem Dei ad creaturas, tum etiam quia haec non cognoscitur formaliter ex creaturis cognitis immediate; sed per alias demonstrationes, nam relatio transcendentalis creaturae tantum ducit in suum terminum, ut est terminus praecipue, quia tam euidenter cognosceretur ex reuelatione terminus non correlatus, quam ex calore correlatus, tandem, quia reuelatio habet duplicem connexionem cum deo, quam non dicit calor, quia calor solum dicit connexionem effectus in genere causae efficientis cum omnipotentia; reuelatio autem dei Trini, & uni respicit deum, ut effectus ab ipso Deo in genere causae efficientis productus, & etiam respicit ipsum Deum ut effectus in genere causae finalis, vel formalis extrinsecus essentialiter specificati à Deo, ut ab obiecto in quo excedit calorem: ergo si calor necessario, & euidenter inducit cognitionem causae propter solum illum unicum ordinem, à fortiori reuelatio ducit in cognitionem euidenciam Dei Trini, & unitum propter similem ordinem, tum propter alium, ut ad obiectum reuelatum, à quo essentialiter dependet in sua veritate.

104 Dicunt quarto cognosci connexionem termini, & eius praedicata non sub ratione particulari, sed sub ratione communi testimonij.

105 Sed contra, quia omnipotentia Dei non ostenditur per testimonium, seu per veram propositionem, non ostenditur sub ratione communi effectus indeterminati, & indifferentis, ut sit ab hac vel

ab aliis causis, sed sub ratione habentis determinatam connexionem cum causa, nam ex solo calore non potest inferri determinate ignis, neque sol, sed disiunctiue, quia calor est effectus communis utriusque: at ex habita ignitione, aut visione potest inferri determinate ignis, quia est effectus proprius illius, ita similiter sunt testimonia indifferentia ad verum, & falsum, ex quibus non potest inferri determinate verum aut falsum, sunt vero testimonia determinata ad verum, vel est veritas testimoniorum, quae habet determinatam, & essentialem connexionem cum obiecto, adeo ut repugnet etiam diuinitus veritatem esse, quin obiectum sit, ut enunciatur; haec connexio cum obiecto non est secundum rationem communem testimonij, sed secundum determinatam testimonij veri, sicut connexio omnipotentiae cum calore non est sub ratione communi effectus, sed sub ratione particulari effectus petentis determinate omnipotentiam; ergo sicut ex hac connexione effectus cum causa, cognoscitur causa per euidenciam absolute, ita ex connexione veritatis cum obiecto cognoscitur obiectum per euidenciam absolute, imo tam determinate, & perfectius tendit actus in obiectum, quam effectus in causam; calor enim immediate tantum ostendit Deum habere virtutem operandi tam perfectam, quam est ipse, hanc autem virtutem esse infinitam carentem principio, & fine non ostendit immediate ex calore, sed ex aliis principiis ostenditur, nempe ex repugnantia infiniti processus in causis: at vero cognita quidditative visione Dei aut alio actu supernaturali repraesentante hanc perfectionem omnipotentiae, immediate absque alio principio cognoscitur quod ex solo calore non potuit.

Tandem syllogismus formalis, & virtualis est 106 certus absolute, quia non potest esse falsus, neque obscurus absolute, quia negari non potest: ergo est euidens absolute. Pater consequentia, quia non est alia species syllogismi certi.

Aduerte pro coronide quaestiones praecise, quia 107 auferatur euidencia constitui indifferentiam, ad assensum, & dissensum, id est, principia actus obscuri componi possunt cum assensu, & dissensu; at vero per praecisam ablationem obscuritatis constitui determinationem ad assensum, & auferri indifferentiam ad dissensum. At obscuritas absolute tollitur per euidenciam absolute, quia si non est absolute euidencia, manet absolute ineuidencia, & obscuritas, quia haec nihil est, praeter fundamentum carentiae euidenciae simpliciter, vel est ipsamet negatio euidenciae: ergo omnis necessitas absoluta ad assensum est euidencia absolute, ea ratione, qui negat principium aliquod euidens, dicitur ignorare terminos, quia si eos calluisset non potuisset id negare certe, arbitror haec esse euidencia, quia negari non possunt.

Ex quibus omnibus manifeste & euidenter 108 sequitur loquutionem Christi manifestantis Patrem aeternum ex euidencia in attestante retem, fundere euidenciam in ipsum Patrem aeternum, & in cognitionem ipsius, nam si ex supradictis probationibus pater Christum euidenter demonstrasse per effectus proprios Dei supra iam late tractatos esse Deum, ac proinde vere loqui, & non falso, euidenter manifestabat dari Patrem aeternum, cuius filius erat dicens: Ego & Pater vnum sumus, sicut Pater in me est & ego in illo, &c. ergo manifestatio nominis Patris euidens fiebat à Christo; unde perperam loquuntur aduersarij, dicentes talem manifestationem esse so-

Quaest. I. Vtrum demon. possit Deum esse. 157

lum per fide. n. & non per euidentiā, quod clare docuit S. Aug. tom. 9. tract. Iob. in Ioannem super hac eadem verba ibi: [Nam quod Deus dicitur vniuersa creatura, & omnibus gentibus quae manifeste cognoscebant Christum, non omnino esse potuit hoc nomen ignotum, hac est enim vis vera diuinitatis vt creatura rationali, iam ratione vtenti non omnino ac penitus possit abscondi. exceptis enim paucis in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum mundi huius fatetur authorem, quem miraculosis operibus & praecellenti scientia maiestas Christi declarauit aperte:] quid clarius & euiden-

109 Alter vero locus vbi dicit Christus [Philippe qui videt me videt & Patrem meum:] non est intelligendus de fide praecipue, sed potius aut de cognitione euidenti intuitiua aut de cognitione euidenti abstractiua, eo modo quo nuper verbum *Manifestum* explicuimus, nam vt optime notant Aug. Hierony. & Ambrosius cum ipsique multi noterici Doctores, duplicem sensum potest habere hic locus. pr. mus est, quod qui videat Verbum Diuinum visione intuitiua necessario videre debeat etiam Patrem & Spiritum Sanctum, quia impossibile est videre vnam personam quin videantur & aliae, quia visio intuitiua, quae necessario fertur in Deum, eo modo quo est, debet videre quicquid in Deo est formaliter, alias si non videret quicquid in ipso existit, non videret Deum sicuti est, quapropter optime dixit Christus loquens de visione intuitiua, Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, ac si dicat, qui me viderit intuitiue secundum diuinitatem, & secundum quod sum Verbum diuinum & filius Patris, necessario debet videre Patrem meum non obscure, sed tanta claritate, & euidencia qua me viderit. Alius sensus est, qui euidenter per Prophetias, per miracula a me facta, & per reuelationes cordium euidenter cognouerit me esse Deum, euidenter etiam cognosceret Patrem meum per euidentiā attestatis; nam qui cognoscit me esse Deum cognosceret etiam euidenter me vere loqui: at qui ego affirmo, & assero habere Patrem, cuius filius sum: ergo ex veritate meae assertionis euidenter cognita, euidenter etiam cognoscitur maiestas Patris aeterni, quia ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, quapropter manifeste patet decepto aduersariorum asserentium verbo *Vide*, & *manifesto* sumi in his locis pro cognitione quomodo cunque obscura aut opinatiua, cum certe non sumatur nisi pro euidenti, vt patet ex dictis: ergo si scriptura in his locis, quibus se protegit Gillius, vtitur verbo *manifesto*, & *video*, ad denotandam euidentiā, sine dubio se suo gladio iugulat, ac proinde nostrum intentum confirmat.

SVSECTIO V.

Aliis scripturae verbis idem intentum confirmatur.

110 ET primo Evangelicus Propheta Isaias c. 40. vers. 26. hanc veritatem aperte manifestat his verbis [Leuate in excelsum oculos vestros & videte quis creauit haec, qui educit in numero multitudinem fortitudinis & roboris virtutisque eius, neque vnum reliquum fuit] ac si diceret, Ad caelum sursum oculos attollite, & vobiscum attenta

cogitatione perpendite, sine dubio euidenter cognosceris creatorem a quo formati atque fundati sunt ipsi caeli, & illi nisi mentem prorsus abieceritis, docebunt manifeste maiestatem diuinam, infinitamque omnipotentiam illius contemplamini; igitur in hac illustri caelorum specie quemadmodum ex astrorum ingenti numero; ego tanquam Imperator caelestem illam militiam producam, quae ego astra oriri atque occidere faciam, eo ordine qui rebus humanis conseruandis & augendis magis est opportunus, quorum virtutem noui, & accommodatum illi nomen imposui, cui illud inest robur, atque potentia, vt ex tanto numero nullum sit quod meum fugiat aut recuset imperium [si modo hominibus (inquit Hieronymus) aliquid esset mentis, satis esse debuit speciosissima caeli facies, & atque perpetuus astrorum ordo, vt homines non solum sibi persuaderent, sed etiam euidenter cognoscerent, & manifeste intuerentur aliquid esse Deum supra omnem creaturam etiam maximarum maiestatem.] Hanc igitur euidentiā (ostendit Isaias) cognitionis Dei dum vtitur verbo *video* dicens. [Videte quis creauit haec,] quae euidencia adeo est perspicua, vt Ethnicorum tenebras dissipans coegerit Ciceronem, vt in hac aurea verba prorumperet [Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in caelum Deum esse non videat, & ea quae tanta mente sunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit casu fieri putet;] Itaque eo ipso quod oculos ad caelum attollamus sine dubio luce stellarum, fulgore Solis, splendore Lunae, scintillantium astrorum fulgentissimis radiis illuminabitur, vt non solum obscure, sed manifeste, aperte, ac euidenter omnipotentem Deum videamus & cognoscamus; ideoque natura tantam curam posuit, vt nos a ceteris animalibus discriminaret in figura & fabrica corporis, qua facili negotio caelos oculis lustrare possimus; vnde vt ait Ouidius non inelegerit.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram;
Os homini sublime dedit caelumque videre

Instit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Vtique tantum bonum compararemus in euidenti cognitione Dei; furdus igitur admodum est qui tam exaudibiles voces non percipit. Haec autem interiores obstructas aperiri, & versus humum demissas arrigi, & oculos homini defixos attolli in excelsum admonet Isaias: vt audiamus & videamus; [Quis creauit haec;] nempe corpora caelestia; quo circa inexcusabiles sunt quicumque Deum ignorant, cuius notitiam ingerit simplex, & inexcusabilis caelorum intuitus; illi vero minime ferendi, qui ex hoc eodem aspectu eo absurditatis & erroris sunt delapsi, vt ipsi diuinitatem attribuerent; vnde cecinit David [Caeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmitamentum: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.] Interroga (inquit Aug.) mundum, ornatum caeli, fulgorem dispositionemque syderum, & vide si non sensu suo tanquam tibi respondeant Deus nos fecit.

Igitur vniuersitas ista creaturarum est veluti liber oculis mortalium obiectus, suis notis musicis & characteribus distinctus, in quos intuentes, & intendentes inueniunt diuinas laudes ad librum canere, creaturae autem laudare & benedicere Deum dicuntur, quod mutis quasi vocibus nos inuitant, atque adeo etiam docent diuinas laudes canere, quibus vocibus mutis manifeste demonstrat creatorem;